R. P. D.

BVSSIO

Cracovien. Contributionis Hybernalis.

Veneris 20. Iunij 1749.

MOS est in Regno Poloniæ, vt Ecclesiastici, prò avertenda à Bonis suis Militum Hybernantium licentià, contributionem, quæ ideò *Hybernalis* nuncupatur, quotannis exsolvant: Ab hujusmodi autèm solutione Ven. Conventus Ordinis Prædicatorum Lublini nupèr cessavit, instructoque Iudicio, immunia ab eo onere esse contendit Bona, quæ possidet in Villis *Trzelniou*, & *Heydeu*, sed in summarijssimo Possessorio R. P.D. A. C. Cincius manutentionem concessit Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Cracoviæ, cui exactionis cura commissam est, idemque fuit hodiè sensus Sacri Nostri Auditorij; Proposito enim per Mè dubio = *An, & cui sit danda Minutentio* = Responsum prodijt = *Manutentionem esse dandam Capitulo* =

2 Clara siquidèm visa est possessio Capituli circà exactam à Ven. Conuentu Ordinis Prædicatorum Lublini partem contributionis Hybernalis eidem impositam, cum in id optimè conueniant

Te-

Testes, mutuumque eis fulcimentum addant Libri, & Regestra Subcollectoris, ex quibus constat de solutione ad annum 1746 continuata; Propterèaque si antè hanc motam Litem Capitulum jugitèr exegit, nil vtique est, cùr in præsenti summarijssimo Iudicio ab exigendi possessione deijciatur, contrà *Text. in §. Retinendæ Instit. de Interdict.*, quem benè exornat *Rot. in Romana Manutentionis 27. Februarij* 1741. §. 2. *coràm R. P. D. meo Vicecomite*, *& in Ferrarien. Manutentionis* 3. *Iulij superioris anni* §. 2. *coràm Rmo P. D. meo de Vais Decano*.

3 Quìn adversùs Testes excipi valeat, quod Ipsis, vtpotè vèl de gremio Capituli, vèl de Clero Sæculari excerptis, intersit contributionem in Regulares quantùm fieri potest refundere, ùt tantumdem oneris ab eorum Bonis decrescat, ideòque proptèr interesse à ferendo in Causa testimonio reijciendi sint, ad *Text. in L. omnibus* 10. *Cod. de Testibus*; Siquidèm non fert indoles præsentis Iudicij, ùt rigidior instituatur de Testibus Censura, ad firmata per *Rotam in Matheranen. Iurium Parochialium supèr Manutentione, quoad reservata* 21. *Iunij* 1745. § *fin. coràm R. P. D. meo Canilliac*. Cæterum nulla penitùs esset in casu querela, cum nullibi doctum fuerit, Testes per Capitulum inductos Bona propria contributioni obnoxia possidere; Interesse autèm remotissimum, quod non ab vtilitate singulorum, sed ab Vniversitatis commodo derivare posset, ineptissimum est, ùt Canonicus prò Capitulo, & Ecclesiastici prò toto Clero deponere prohibeantur, *Text. in Cap. Insuper*, *& Cap. cum Nuncius de Testibus*, *Rota in Tyburtina Manutentionis* 2. *Iulij* 1745. §. 5. *coràm Rmo P. D. meo de Vais Decano*, *& in Romana Manutentionis* 15. *Maij* 1747. §. 6. *cor. Mè*.

4 Leuioris momenti est exceptio adversùs Regestra Subcollectoris, quæ PP. Dominicani intèr privatos Capituli Libros recensent eaque de causa ullam Eis fidem negant esse adhibendam ad *Text. in L. 7. C. de probat.*, *& L. 5. C. de conven. Fisc. debit. lib.* 10.; Vltra quod enim hùc redit responsio de probationibus utcumque infimis in Manutentionis Iudicio admittendis, *Rota in Toletana Decimarum supèr Manutentione* 19. *Februarij* 1734. §. *Evincunt cor. Emo D. Card. Millino*; Vlteriùs cum Regestrorum Partitæ conscriptæ fuerint à Subcollectore de perceptis rationem redditturo, solutionem optimè probant, nè aliàs Ipse quod non exegit prò exacto in sui perniciem adnotasse censeatur, juxtà distinctionem, de qua *Rota in Brundusina Iuris dècimandi* 13. *Ianuarij* 1746. §. 6. *cor. Mè*; Et denique cum eadem Regestra unisonè Testium depositionibus respondeant, quò majus ab eis desumunt veritatis adminiculum, eo majorem sibi conciliant fidem, quæ Libris utcumque privatis non denegatur, ubi alia concurrant in mutuam comprobationem Documenta, ad passim notata per *DD. in L. admonendi 27. ff. de jurejuran.*, *Rot. cor. Molines dec.* 318. *num.* 41., *& in Albanen. Responsionis fructuum* 14. *Ianuarij* 1745. §. *Quin ea cor. R. P. D. meo Elephantutio*.

5 Ve-

5 Verùmtamèn opus non est controversæ solutionis probationem quæritare, quotiès eam uberrimè evincit confessio ipsiusmèt Conventus Lublini, cujus nomine sùb annum 1735. quærela in Comitijs Generalibus proposita fuit, ùt immunia imposterùm declarentur Bona, de quibus agitur = *ab indebitè imposita Hyberna* = si itàque Contributionem tùnc temporis jàm impositam PP. Dominicani declararunt: Si ab ea liberari petierunt, eamdem hodiè nunquam solutam esse asserentes proprio judiciali Facto, solemnique Confessioni contraire videntur, contrà regulam *Text. in Cap. Per tuas de probat., & L. cum precum Cod. de liber. Caus.*; Clarum quippè est oneris remotionem non alitèr peti posse, quàm si onus ipsum actu existere pernecessè supponatur, ùt in simili arguit *Rot. in Argentina Parochialium* 10. *Iunij* 1746. §.8. *cor. Emo D. Card. Millino.*

6 His perstricti Defensores Conventus solutionis actus impugnare non valentes, eos referre adnitebantur ad vim, ac violentiam per Capitulum illatam, sed non leue erat spectatissimo Ecclesiasticorum Cætui hujusmodi criminis notam impingere, & ad illud suadendum ineptissimi habiti sunt tùm informes quidam Testes, tùm recursus ad Comitia generalia à PP. Dominicani habitus sùb annum 1735., Testes quippè de nunquàm audita Contributionis exactione generalitèr deponentes, Lite pendente, expiscati, & contrarijs documentis rejecti, longè sunt à constituenda clarissima probatione, qualis desideratur ad evincendam violentiam, *L. sciant cuncti C. de probat., Rota in Meleuitana deprædationis, quoad octavam partem* 14. *Nouembris* 1747. §. 13. *cor. R. P. D. meo Clemente, & in Alerien. Parochialis* 5. *Februarij superioris anni* §. *fin. cor. R. P. D. Molino.* Actus verò anni 1735. magìs quàm obstet, summoperè fauet possessioni Capituli, quotiès, non obstante quærela tùnc temporis à Conventu delata, Contributionis solutio jugitèr usquè ad Litis hujus initium continuata probatur, *Rota in Leodien., seù Colonien. Iurisdictionis supèr tertio Dubio* 17. *Ianuarij* 1742. §.6. *cor. R.P.D. meo Molino.*

7 Firmata possessione Capituli, perperàm extrà indolem præsentis Iudicij proponebatur distinctio intèr Bona Ecclesiarum Eis à Regibus concessa, & alia à Nobilibus privato titulo in Ecclesias collata, asserendo Prima, quæ *Regalia* nuncupantur, controverso oneri subijci; Cætera verò secundæ speciei, quæ vocantur *Terrestria* immunia ab eo esse, juxta Constitutiones Regni, & ad tramites etiàm Resolutionis *S. Congregationis Immunitatis in vna Cracovien.* 19. *Decembris* 1725., confirmatæ sùb annum 1726. per Breve Sa: Me: Benedicti XIII.

8 Quidquid enim sit de asserto Bonorum discrimine, & de prætensa BonorumTerrestrium libertate, obscurum omninò erat an Bona, de quibus agitur, ad vnam, vèl alteram speciem essent referenda, cum probationes in id deductæ, vèl vti extractæ ab altero ex Religiosis Dominicanis, imminutam habere videantur legalitatis imaginem: Fortiùs quia non leves intèr ipsamèt Documen-

men-

menta contradictiones notantur, & nunquàm insuper doctum fuit in Regijs Constitutionibus, vbi Loca Pia ab Hybernali contributione immunia describuntur vllam prorsùs de Conventu Liblini mentionem fieri, adeoùt ex hoc ipso asserta exemptio non obscurè exclusa videatur, ùt in simili arguit *Rot. in Carpentoraten. Fideicommissorum supèr Immissione in specie* 10. *Iunij superioris anni* §.7. *cor. R.P.D. meo Elephantutio*; Quapropter cum res undique incerta remaneat, extraneum prorsus est in exemplum afferre resolutionem S. Congregationis Immunitatis anni 1725., illa quippè ædita fuit supèr certis Bonis, quæ Iure Terrestri possessa indubiè erant à Conuentu Cracoviensi; Ideòquè Personarum, rerum, ac rationis diuersitas non patitur, ùt idem in hac disparatissima Lite ferri oporteat Iudicium, *L. Papinianus ff. de minor.*, *Leg.*11. *ff. de except. Rei judicat.*, *Rota in Colonien. Parochialis* 7. *Februarij* 1746. §.18. *cor. Mè*,

9 Cæterùm omnem perimit difficultatem natura summarijssimi possessorij, in quo versamur, Iudicij; Non enim licet exceptiones altioris indaginis proponere, quales secumfert examen circà Bonorum qualitatem firmandam, & circà exemptionem vni, vel alteri speciei adscribendam; Hæc siquidèm plenariam involvunt boni Iuris cognitionem ad proprium Petitorium judicium reijciendam, *Rot. in Vrgellen. distributionum supèr Manutentione* 6. *Februarij* 1726. §. *Et licet coràm Emo D. Card. Crescentio*, *& in Vercellen. Cappellaniæ* 24. *Ianuarij proximè præteriti cor. R.P.D. meo Vicecomite*; Maximè vbi, proùt in casu, solemnis processit ex parte Capituli suspensio Petitorij; In quibus terminis altiùs assumendo boni Iuris examen non sinè manifesta legitimi Possessoris injuria judicialis ordo perverteretur, contrà monitum *Rot. in Moguntina Manutentionis* 6. *Iunij* 1738. §.9. *cor. Rmo P. D. meo de Vais Decano*, *& in Romana*, *seu Portuen. annuæ Præstationis* 6. *Ianuarij* 1741. §. 17. *cor. cl. me. Card. Calcagaino*.

Et ità &c. vtraque &c.

ROMÆ, Typis Reverendæ Cam. Apost. 1749.

Superiorum permissu.

Druki wyjątkowe
dotyczące dziejów
różnych województw polskich

20.000